

- 20 ^{a)} In quo tandem firmatam esse cupimus conversionem, qua convertimur ad te o martyr beatissime? Non enim leviter accipimus aut parvipendere debemus sententiam suprascriptam ¹⁾ quamvis deprompta fuerit absque discretione: *Voca ergo, si est qui tibi respondeat, et ad*
5 *aliquem sanctorum convertere* ²⁾). Deus ipse advocatus beati Iob, in quem deprompta fuerat, miro modo et sententiam approbavit et secundum ipsam sententiam beatum Iob tanquam aliquem sanctorum honoravit, ut ad eum fieret conversio illius, qui primus taliter in eum fuerat locutus male sentiens de viro sancto, quod nisi esset impius,
10 nequaquam contingere possit, ut tanto flagello percuteretur. Ille namque videlicet Eliphaz Themanites sic primus incipiens: *Recordare obsecro te, quis unquam innocens periit aut quando recti deleti sunt* ³⁾ — subauditur: ut tu peristi et deletus es — et cetera prosequens tanquam in peccatorem; — inter quæ dixit sententiam hanc: *Voca ergo si est*
15 *qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere* ²⁾), nonne maxime correptus et ad sanctum Iob converti iussus est? Sic enim in calce voluminis scriptura narrat: *Postquam autem locutus est Dominus verba hæc ad Iob, dixit Eliphaz Themaniten: Iratus est furor meus in te et in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum*
20 *sicut servus meus Iob. Sumite igitur vobis septem tauros et septem arietes et ite ad servum meum Iob et offerte holocaustum pro vobis. Servus autem meus Iob orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia; nec enim locuti estis ad me recta sicut servus meus Iob. Abierunt ergo Eliphaz Themanites et Baldad Suites* ^{b)} *et*
25 *Sapharna Amathites* ^{c)} *et fecerunt sicut locutus fuerat ad eos Dominus, et suscepit Dominus faciem Iob. Dominus quoque conversus est ad penitentiam Iob, cum oraret ille pro amicis suis* ⁴⁾). Hoc auditum mente pertractamus, ita ut dispositionem Dei non satis posse mirari fateamur, quia qui dixit tanto viro: *ad aliquem sanctorum convertere* ²⁾), ei dixit
30 Deus: tu ipse ad istum cui loqueris sanctum convertere. Nonne vero tu beate martyr quidam Iob fuisti tempore tuo? Et quidem una ^{d)} sancta ecclesia ^{e)} catholica totum corpus cum suo capite Christo unus est Iob secundum similitudinem vel typum, quem pertulit ille homo beatus Iob. Et sicut de illo male senserunt amici eius, cum esset graviter
35 flagellatus quasi pro suis sceleribus, ita de sancta ecclesia male iudicaverunt heretici, quoties tentator Satan permissam potestatem habens

20 ^{a)} c. 20 *fehlt J* ^{b)} Suhites *Vulg.* ^{c)} Sophar Naamathites *Vulg.*
^{d)} qua *M* ^{e)} Ecclesi *M*

¹⁾ c. 18 ²⁾ Iob 5, 1 ³⁾ Iob 4, 7 ⁴⁾ Iob 42, 7—10